

Ad Candidum Lectorem.



MA X I M E dubitavi (Lector amantissime) has laborum, & lucubrationum mearum primitias, in lucem proferre. Tandem, vt cuidam desiderio satisfacerem, obtinuit pulchrior sententia. Nec potuit obstare, quod multis periculis libellus iste exponeretur: cum nullus hucusque praelo fuerit datus, qui calumniam, ac emulationem euitauerit, & obtinuerit, ab incursum, & Zoylorum motibus, priuilegij exemptionem. Acqua benignitate rem hanc accipias deprecor, nec reprehensione dignum existimes, quod minus eleganter pronunciat, si doctè, ac subtiliter concipitur. Materia in hoc libello explicata, & practicam habet, quemadmodum Theoricam; Maximè *Rubrica, & l. 2.* in qua breuiter, de alienationis prohibitione, à testatore facta, nonnulla exarantur, explicantur, declarantur. Omnia hic contenta, iam ab antiquis nobis ediscenda relicta sunt, sicque noua appellari minimè poterunt. Videbuntur tamen esse, attento ordine, ac methodo subtili, & eleganti, quam obseruauimus: ne videremur eandem rem, eodem stylo seruato, iterum absq; labore nostro promulgare. Si, quæ dicta sunt, quæ laudem mereantur, eam D. O. M. tribuito, à quo omne bonum, ac scientia deriuatur; sin minus, ignorantiae, ac imbecillitati meae referto; ac nihilominus faueto. Quod si feceris, alia tibi maiora, elegantiora, ac subtiliora dabo.

Vale. Et æqui bonique consulito.



Antonius de Fuente y Biota?

S V M M A R I V M R V B R I C A E.

- 1 Continuatio Rubricæ quando faciendâ.
- 2 Usucapio absque tit. & bona fide non procedit.
Transactio est emptioni similis.
- 3 Dominium directum usucapione queritur.
- 4 Dominium directum queritur usucap. rerum
mobilium.
- 5 Usucapione immobilium utile.
- 6 Prescribenti per longum tempus datur exceptio.
Exceptio est actionis exclusio. ibidem.
Rei vindicatio dominium presupponit.
- 7 Usq. solutio reprobatur.
- 8 Nemo sine actione experitur.
Agentem sine actione repellit Iudex. ibid.
- 9 Expenditur l. 1. C. si advers. credit.
- 10 Directa actio non competit prescribenti res incorporales.
Immobiliū, & incorporaliū prescriptio, equiparatur. ibid.
- 11 Ratio diversa diversum ius exposulat.
- 12 Usucapio mobilium favorabilis.
- 13 Prescriptio 30. annor. odiosa.
Hæc si procedit cum mala fide solum querit exceptionem. ibid.
- 14 Si bona fide sine tit. fiat, querit utile dominium.
- 15 Longi temporis prescrip. mixta est.
- 16 Odia restringenda sunt.
- 17 Firminus difficilius queritur.
Immobilia, mobilibus firmitiora. ibid.
- 18 Differentia prescriptionis long. temp. & 30. annor.
- 20 Intellectus l. si finita §. Iulianus de dam. infect. & nu. 23.
Appellatione domini directum venit. ibid.
- 21 Dominium est generale nomen.
- 22 Dominium utile, & directum.
- 24 Missus in posses. ex 1. decreto, custos, non possessor est.

RUBRICA HUIUS TIT.

5



Rubricarum continuatio parum utilis iudicari solet, ut est videre per adduct. a *Nar. in Rub. de Iudic. nu. 4.* Propterea; a nonnullis fuerit aliquando ommissa, ab alijs prorsus neglecta. Quia tamen nostræ Rubricæ continuatio utilitatem habet, ideo eam ad superiores continuandam duxi.

Et ommissis continuationibus, de quibus per *Cepol. hic ex num. 1.* Ego ex mente omnium hanc facio continuationem. Dictum fuit supra, qualiter dominia rerum acquirantur de Iure gentium & Iure Ciuili, sed quia adhuc supererat principalior modus acquirendi dominium a Iure Ciuili inuentus, scilicet *vsucapio. §. fin. Instit. de vsucapio. & dicetur infra.* Ideo in præsentia de *vsucapione* agitur. Quæ cum absq; titulo, & bona fide non procedat, *l. nullo ff. de rei vindicat. l. bona fidei 48. ff. de acq. ver. dom. §. si quis a non domino Instit. de ver. diuis. princ. Instit. de vsucapion. & infra dicetur.* Et inter titulos, qui *vsucapiendi* causam præstant, principem locum obtineat titulus pro emptore. Cuius rei argumentum *I. C. & Imperatores* præstant, qui quando de *vsucapionibus* loquuntur, exempla ponunt in emptionis tit. ex iuribus supra allegat. & in tit. pro transactione, propter similitudinem, quam cum emptione habet *l. ex empto cum vulgat. ff. de action. empt. Cepol. hic nu. 3. & nu. 7.* Merito in ista Rubrica, & titulo agitur de *vsucapione* pro emptore, seu transactione. Id est de ea *vsucapione*, quæ causatur in *vsucapiente* ex eo, quod rem emit, vel pacto super re dubia, & lite incerta se composuit. Hæc est communis continuatio ad istum tit. & eam licet non ita fusè adfert *Cepol. hic post nu. 3.*

Ex qua continuatione illud fit, ut per *vsucapionem* non solum utile, sed dominium directum quærat, ut probat *tex. in l. vsucapio ff. de vsucapion. l. traditionibus C. de pactis §. fin. Instit. de*

vsu

106 LEX III. COD. DE VSVCAP. PRO EMP.
nem usufructu indigere. In quem sensum intelligendi sunt
rex. in d. §. lana; ibi si verò apud bona fidei possessorem contra, & rex. in
d. l. si aliena §. Scenola vers. Scenola autem ff. de usufructu. Verba
namque intelligenda sunt de habilitate, & potentia, non verò
ad actum sunt referenda, ut sentit glos. in d. §. lana verbo emptorem.

Et sic cessat difficultas, & explicatio textus Anno 1626.

die 1. Martij, existente Rectore adm. Illustri D. Al-

phonso del Rio Pallancino, I. V. D. & in Ar-

chigymnasio Bononiensi Vesperti-

no Iuris Pontificij quon-

dam antecessore.

